



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fvldensivm Antiquitatvm Libri III.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Cap. VIII. Priuilegium S. Sturmio à Stephano Papâ datum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

Germanis, quæ verè appellantur bona. Cùm enim Germaniam à litteris & pietate alienam, variisque bellis & seditionibus agitatam vidisset, nec Germanæ iuuentutis indolem improbasset, quæ quales Magistros haberet, talis ferè esset; morum, doctrinæ, & pietatis officinas, id est scholas, optavit erigere. nec defuit voluntati facultas. Nam, fauente Carolo illo Magno, in vastas solitudines penetravit, * Fuldenseque cœnobium bonis auspiciis edificauit; in eo quadringentos monachos docuit; ex quibus multi, quæ erant eruditione & sapientiâ, ex Græco sermone in Latinum multa vertentes, gymnasium atque ædes insigni bibliothecâ nobilitarunt. Ne autem studiorum, studiosorumque moles tanta concideret, Caroli Imperatoris, & Bonifacii Moguntini Archiepiscopi liberalitas summa prouidit: Monasterium enim, quod à Fulda flumino nomen acceperat, agris, possessionibus, prædiis, pecuniis, vectigalibusque amplissimis, vterque locupletauerunt. Difficile explicatu est, quantos & quales viros schola Fuldensis enutriuerit, ex quæ velut sapientiæ, eruditionis ac optimorum morum penu, tot Episcopi, Archiepiscopi, mundo exhausto quodammodò doctorum virorum ingeniis, prodierint.

Declarant hæc, quantæ sit vtilitatis & fructus religiosa institutio; quàm profuerit illa domus, in quæ doctrinæ studia viguerunt, virtus floruit, & sapientiâ vtriusque particeps triumphauit.

CAPVT VIII.

*Præuilegium Stephani Papæ Sturmioni
Abbati concessum.*

STEPHANVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectissimo filio Sturmioni venerando Abbati monasterij S. Saluatoris, quod situm est in Buchoniâ super ripam fluminis Fulde, salutem & Apostolicam benedictionem. Quum semper sint concedenda, quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet, vt deuotioni conditoris piæ constitutionis auctoritas in præuilegiis præstandis non negetur; maxime in his locis, quæ nostræ Apostolicæ sedi specialiter subiecta sunt. Quapropter decreuimus, vt locum tuum, Fuldense scilicet monasterium, quod venerabilis frater noster Bonifacius Archiepiscopus construxit & edificauit, omnibusque bonis ditauit, in nostrâ semper habeamus defensione,

Bb 2

Roma-

Romanâ & Apostolicâ auctoritate munitum, tum propter iustitiam, tum propter beatissimi fratris Bonifacii votiuum desiderium, qui tam te, quàm ipsum Fuldensem locum, in nostrâ Romanâ commendauit defensione. Igitur, quia postulasti à nobis quatenus præfatum monasterium sancti Saluatoris priuilegio Apostolicæ auctoritatis decoretur, vt sit in ditione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deseruimus, Ecclesie constitutum, nullius alterius ecclesie iurisdictionibus submitatur; iccirco piis desideriis fauentes, hac nostrâ auctoritate, id quod exposcimus, deuoto effectui mancipamus. & ideo omnem cuiuslibet ecclesie sacerdotem, in præfato monasterio, ditionem quamlibet habere, præter Apostolicam sedem, prohibemus; ita, vt nisi ab Abbate fuerit inuitatus, nec Missarum ibidem sollempnia præsumat celebrare. Locus autem idem, simul cum rebus & hominibus, tam iis quæ moderno tempore tenet, quàm quæ futuris temporibus in iure ipsius monasterij diuina voluerit pietas augere, ex donis & oblationibus, decimisque fidelium, absque ullius persona contradictione, firmitate perpetuâ perficiatur. Præcipimus etiam tibi, cunctisque tuis successoribus Abbatibus eiusdem monasterij, per diuini nominis intemerandam reuerentiam, & per eam quam nobis & Christo debes obedientiam, vt locum tibi commendatum omni studio & diligentia excolas; res & facultates sub Dei timore conserues; & nihil ex his, quæ Deo sunt oblata & consecrata, cuiquam laico vel clerico in beneficium concedas vel præstes, sed omnia in seruitio Dei, & adificiis monasterij, & consolationibus pauperum & hospitum, deuotè ac fideliter dispenses. Fratres tuos secundum Regulam S. Benedicti dirigas, atque prouideas, & curam animarum tibi commissarum semper intendas. Constituimus quoque per huius decreti paginam, vt quæcumque cuiuslibet dignitatis prædita persona, hanc nostri priuilegij chartam, quam auctoritate Principis Apostolorum firmauimus, temerare tentauerit, anathema sit, & iram Dei Omnipotentis incurrens, à cætu Sanctorum omnium extorris existat; & nihilominus præfati Monasterij dignitas à nobis indulta perpetua-liter inuiolata permaneat, Apostolicâ auctoritate subnixâ. Data

Regnante VII. Kalend. Imperante Pipino.

Fulde se mo-
nasterium
vni Apo-
lica sedi sub-
iectum.

Nullus in eo
Episcopus ce-
lebrat nisi ab
Abbate inui-
tatu.

Ne bona sa-
era & Ecce-
sia veſtigia
per fenda
alienentur.

Br
A
Fulde
S
9